



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 8. Quænam requiruntur, ut quis licitè ordinetur?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

Q. 8. *Quanam requiruntur, ut quis licite  
ordinetur?*

*Resp.* Sequentia. 1. Confirmatio, & Tonsura, quæ ex Trid. sess. 23. c. 4. non debet conferri nisi iis, qui fidei rudimenta callent & sciunt legere ac scribere, & de quibus probabilis conjectura sit, eos Clericatum elegisse, ut Deo fidelem cultum præstent.

2. Certa ætas. Pro Minoribus nulla à jure definitur; sed Trident. statuit solum ut non conferantur, nisi iis qui saltem Linguam Latinam calleant, c. 11. pro Subdiaconatu requiruntur anni 22. pro Diaconatu 23. pro Presbyteratu 25. ex Trid. c. 12. sufficit ex usu recepto, ut hi anni sint inchoati. Pro Episcopatu requiruntur anni 30. compleri c. 7. *de elect.* in Gallia sufficit annus 27. inchoatus ex Concordat.

3. Immunitas ab omni Censura & Irregularitate.

4. Status gratiæ, morum probitas, bona fama, vocatio divina, intentio gloriæ Dei promovendæ, serviendo Ecclesiæ.

5. Certa scientia. Trident. requirit ut suscepturi Subdiaconatum & Diaconatum sint litteris & iis quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi; ut suscepturi Sacerdotium possint populum docere necessaria ad salutem, & sciant necessaria ad Sacramenta ritè administranda, sess. 23. c. 13. & 14. Item ex Patribus & Conciliis debent scripturas Sacras & Canones ediscere & scire.

6. Sæcularis non potest licitè ordinari, nisi Titulum sustentationis habeat ex Beneficio, vel Patrimonio, vel pensione sufficienti ad victum honestum: ita ut si quis fingat titulum, aut pactum ineat de restituendo, vel non exigendo eo, quod datur illi in titulum, peccet mortaliter, & suspensus sit, ex Trid. sess. 21. c. 2. ubi antiquorum Canonum pœnas super his innovat; & ex Urbano VIII. Constit. *Secretæ*. idque teste Fagnano declaravit S. Congregatio Cardinalium. Nec obstat, cap. *cum secundum* de præbend. nam ibi agitur solùm de iis, qui nullo requisito titulo ordinati sunt, non autem de iis, qui titulum fixerunt, quibus fraus sua patrocinari non debet. Nec ordinato licet sine licentia Episcopi resignare, aut alienare titulum, ad quem promotus est, nisi aliunde habeat, unde commodè vivat, ex Trid. c. 2. cit. quòd si quem Episcopus absque titulo ordinaret, teneretur ei necessaria ad sustentationem suppeditare, c. 4. & 17. de præbend.

*Not.* Qui ordinatur per saltum, hoc est, qui suscipit Ordinem Superiorem inferiore prius non recepto, peccat mortaliter, & manet suspensus ab usu Ordinis sic suscepti, c. un. de Clerico per saltum promoti. Si tamen non ministraverit, potest Episcopus ex legitima causa cum eo dispensare, Trid. sess. 23. c. 14.